



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Volvminibvs Comprehensvs

[Tractatus de attributis, de visione beatifica, de scientia Dei ac de ejus voluntate et providentia]

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniæ Agrippinæ, 1671

Art. III. An ideò res sint futuræ, quia sciuntur à Deo, vel ideò ab illo sciantur, quia futuræ sunt?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77132](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-77132)

Ad illud quod dicitur in contrarium, in primis responderi potest falsum esse principium ille Adversariorum, quod scilicet omnis suppositione antecedens tollat libertatem. Nec unquam id dixit Anselmus, sed solum quod necessitas antecedens, sive suppositione quae oritur à causis naturalibus, & necessariis, qualis est ortus Solis (quo exemplo ipse fuit Anselmus utitur) tollit libertatem.

Addo quod si hoc principium esset verum, tolleretur libertas in sententia Adversariorum, illienim docent Scientiam simplicis intelligentiae, ut habet adjunctum decretum, esse causam rerum, ac proinde causam nostrorum liberorum, & consequenter aliquam suppositionem illos antecedentes; omnis enim causa debet esse prior suo effectu, prioriter saltem naturæ & causalitatis: Ergo si verum sit, quod omnis suppositione antecedens tollat libertatem, manifestum est, ex sententia Adversariorum, sequi excidium, ac destructionem libertatis.

Respondeo secundo, Quod licet suppositione antecedens, qua non oritur a primo libero, & qui non descendit a primo principio, & a primaverbi radice libertatis, eam tollat & destruet; scilicet tamen si descendat a primo libero, & a prima libertatis radice procedat: Scientia autem visionis, cum supponat decretum, quod est prima radix, & primum principium libertatis, & participat; & quod attingit non solum substantiam, sed etiam modum libertatis & contingit in nostris operationibus, est aliqua suppositione descendens a primo libero, & procedens a prima libertatis radice; ac proinde non tollens, sed causans libertatem & contingit in rebus. Sed de hoc fuse in Tractatu de prædestinatione.

Objicies quarto: Est scientia Deus producere creaturas, quæ constituitur in actu primo agens, cum eadem virtus quæ actum primum ponit, debeat in secundum prodire: Atqui scientia simplicis intelligentiae Deus habet actum primum, seu potentiam a creaturæ producendas: Ergo ab illa, non a scientia visionis, debet prodire operatio, quæ creaturæ fiunt;

Respondeo negando Majorem, quia scientia, quæ est causa rerum in actu secundo, debet esse libera, scientia vero quæ illas continet in actu primo, & quæ Deus constituitur in actu primo agens, necessaria est: si vero illi addatur decretum, per quod fiat libera, à scientia simplicis intelligentiae, transit in scientiam visionis, seu approbationis & benefacit.

Addo quod, si hoc argumentum aliquid valeret, probaret productionem creaturarum ascribendam esse potius voluntati Dei necessaria, quam libera, cum voluntas Dei ut necessaria, habeat primum actum, seu potentiam producendi creaturas, juxta Vazquez, & alios Recentiores qui existimant potentiam executivam in Deo, non esse intellectum, sed voluntatem.

De quo infra.

Objicies ultimum: Si scientia Dei libera, quæ visionis appellatur, esset causa rerum, esset etiam causa peccatorum, cum ad illa etiam se extenderet, & ea clarè & intuitivè cognoscatur: Sed hoc est impium, & blasphemum: Ergo scientia visionis non est causa rerum.

Respondeo negando sequelam, ut enim supra concul, ostendimus, scientia Dei libera, non est causa rerum, quatenus formaliter visionis

Tom. I.

est, sed solum quatenus est approbationis: Deus autem non cognoscit peccata per scientiam liberam, quatenus est approbationis, sed solum quatenus est visionis: quia illa nullum supponunt decretum positivum in Deo, quod vellet, & approbet illorum existentiam, vel futuritionem, sed permissivum tantum, quod vult permettere eorum malitiam, & deformitatem; & sic scientia visionis, quamvis sit causa rerum, non tamen est causa peccatorum, ut patet ex dictis in ultima probatione quartæ conclusionis.

ARTICULUS III.

An ideo res sint futura, quia sciuntur à Deo, vel ideo ab illo sciuntur, quia futura sunt?

R Esolutione hujus difficultatis pendet ex dictis articulis præcedentibus, & ideo breviter ab illa nos expediemus conclusione sequenti.

§. I.

Vera sententia statuitur.

D Ico igitur hanc propositionem, Ideo res sunt futura, quia sciuntur à Deo, esse veram in sensu causalium; & istam falsam: Ideo res ut futura cognoscuntur à Deo, quia futura sunt; ly quia dicentur ratione essendo, & causam formalem, aut virtualem. Ita communiter nostri Thomistæ, quibus ex Patribus Societatis novissime leadiunxit Claudio Typhanius in libro de Ordine, deque priori & posteriori cap. 34.

Probatur primò ex Sanctis Patribus supra relativis, præfertim ex Augustino 15. de Trinitate cap. 13. dicente: Universas creaturas suas spirituales aut corporales, non quia sunt ideo novit Deus, sed ideo sunt, quia novit. Non enim neficit quod fuerat creatus: quia ergo scivit creavit, non quia creavit scivit. Ubi S. Augustinus aperte loquitur de scientia libera, & nullo modo de scientia simplicis intelligentiae; loquitur enim de scientia, quæ Deus scit & cognoscit futura ut futura, & de ista ait, id est res creatas esse futuras, vel existentes, & non è contraria: At scientia simplicis intelligentiae, Deus non scit futura, neque existentia, sed solum possibilia, ne quibus falsum est dicere ipsa existere, quia sciuntur à Deo; scientia enim illa non causat omnia quæ cognoscit, alias causaret omnia possibilia: Ergo de illa & de ejus objecto non potest dici esse futurum, quia scitur à Deo; sed solum de scientia libera, quæ visionis appellatur. Unde Gregorius Magnus articulo præcedenti citatus: Que sunt, non ab eternitate ejus videntur, quia sunt; sed ideo sunt, quia videntur.

E Non est prætermittenda insignis D. Leonis 62 Papæ authoritas, quæ aperte favet nostræ sententiae. Ille enim serm. 16. de Passione cap. 2. sic habet: Cum ergo omnia quæ in Christum Iudaica adiunxit impietas, tanto ante prædicta sunt, ut non tam de futuris quæ de presentibus propheticus sit sermo contextus: quid aliud nobis, quæ semperternarum dispositionum Dei incommutabilis ordo reseratur, apud quem & discernenda jam adjudicata, & futura jam facta sunt: Cum enim & qualitas actionum nostrarum, & effectus omnium voluntatum scientia divina præveniat, quantù magis Deo nota sunt opera sua. Et recte placuit quasi facta recoli, quæ non poterant omnino non fieri. Ubi S. Leo aperte loqui-

B e

tè loqui-

teloquitur de scientia Dei libera, & in decreto A fundata, cum illius tantum prophetia participatio sit; docetq; talem scientiam prævenire omnes nostras actiones & volitiones: Ergo aetius liber in nostra voluntatis ante illam non praetelligatur futuri: subindeq; non ideo Deus illos praescit, quia futuri sunt, sed potius ideo futuri sunt, quia per talem scientiam à Deo praesciuntur.

B Probat secundum conclusio ex D. Thoma hinc art. 8. in resp. ad i. & qu. 2. de veritate art. 14. ad i. ubi explicans verba Origens dicitis, *Quia futurum est aliud, ideo scitur à Deo antequam fiat.* Addit; *Hoc esse intelligendum secundum causam consequentia, non secundum causam essendi.* Id est in sensu tantum illativo, non causaliter.

Nostram etiam conclusionem expressè docet M. g. Et sententiarum in i. dist. 8. his verbis: *Nequeres futuræ causa sunt Dei præscientie, licet enim non sint futurae, nisi præsintur à Deo; non tamen ideo præsciuntur à Deo, quia futurae sunt: si enim hoc esset, tunc ejus quod aeternum est, aliquid existet causa ab eo alienum, ab eo diversum, & ex creaturis penderet scientia Creatoris, & creatum esset in creative causa.* Quibus verbis, non solum autoritate sua conclusionem nostram confirmat, sed etiam rationem fundamentalem insinuat, quia communiter utinuntur Thomista ad illam demonstrandam, & quæ potest sub hac forma proponi. Si id Deus præscire res futuras, quia futurae sunt, & non è contra; ideo est futura, qui præsciuntur à Deo, scientia Dei mensuratur à rebus creatis, & ab illis dependet, quantum ad aliquam perfectionem realem, & sibi intrinsecam; nimis quantum ad certitudinem, & veritatem: Sed hoc regnat perfectione divina scientia, que cum sit ipsam Dei substantia, non potest causari, vel dependere à rebus creatis, ut expressè docet D. Thomas hinc art. 8. ad 3. dicens: *Sicut scibilia naturalia sunt priores quam scientia nostra, & mensura ejus: ita scientia Dei, est prior quam res naturales, & mensura ipsarum.* Et infra quæst. 16. art. 1. ponit hoc dicimen inter intellectum divinum, & nostrum; quod noster pendet à rebus, non verò divinus, à quo res potius pendent, & dicuntur vera, quia ei adæquantur. Item i. 2. quæst. 93. art. 1. ad 3. hæc scribit: *Ratio intellectus divini aliter se habet ad res, quam ratio humani intellectus; intellectus enim humanus est mensuratus à rebus, ut scilicet conceptus hominis non sit verus propter seipsum, sed dicitur verus, ex eo quod consonat rebus; ex hoc enim quod res est vel non est, opinio vera vel falsa est: intellectus vero divinus est mensuratus rerum, quia unaque res in tantum habet de veritate, in quantum imitatur intellectum divinum, ut dictum est.* Parte, quæst. scilicet 16. art. 1. Quòd nihil clarissimus & expressissimus dici potest in favorem nostræ sententiae. Cui etiam consonat illud quod dicit Boëtius 5. de consolatione, prosa ultimâ nempe, **E** *Deum præscientiam eam, non à rebus creatis, sed à propria simplicitate sortitum esse.* Sequela autem Majoris est evidens: Illa enim cognitio dependet ab objecto, & ab illo mensuratur, quantum ad veritatem & certitudinem, quæ illud non facit, sed supponit: Atqui si ideo Deus cognoscat & sciat res futuras, quia futurae sunt, & non è contra; divina scientia, non facit in rebus futuritionem, nec prouinde veritatem & certitudinem, sed illam supponit: Ergo quantum ad utramque perfectionem ab illis mensuratur & dependet.

Confirmatur primò: Illud quod habet suam perfectionem per adæquationem ad alterum, se habet ad illud ut mensuratum ad mensuram; etenim mensura est illud cui res debet adæquari, ut sortiatur perfectione sibi debitam, *At cognitione, quæ non facit, sed supponit suum objectum, habet perfectiōnem sibi debitam, veritatem, licet & certitudinem, per adæquationem, & conformitatem cum illo;* ideo enim est vera & certa, quia illi adæquatur, & non è contra: Ergo penderet ab objecto, quantum ad veritatem, & certitudinem, & ab illo mensuratur.

Confirmatur secundò: Cum Adversarij assertur, ideo Deum præscrire res futuras, quia futurae sunt: vel usurpant particulas illas ideo, & quia, in sensu pure illativo, vel in sensu causaliter: Si primum, nobiscum sentiunt; non negamus enim talem propositionem esse veram in sensu illativo, & prout dicit solam rationem inferendi, sed tantum in sensu causaliter, & quatenus importat causam essendi, ut docet D. Thomas locis supra relatibus. Si autem secundum dicant (ut necessariò dicendum est, juxta illorum principia) manifestum est, scientia Dei pendere à rebus creatis in aliquo genere causa; alioquin talis propositione non posset esse vera in sensu causaliter, sed tantum illativo: sicut quia rationalitas in nullo genere cause à risibilitate penderet, hoc propositione, ideo homo est rationalis, quia est risibilis, non est vera in sensu causaliter, sed tantum illativo.

Confirmatur tertio: In aeternis ratio prioris & posterioris solum petitur ex dependentiis ab altero, unde cum præscientia Dei, & futuritudo rerum, sint ab aeterno: si divina præscientia sit posterior futuritione rerum, & illam presupponat, debet aliquo modo, & in aliquo genere causa pendere à rebus futuris.

Respondent Adversarii, illas particulas, ideo & quia, non sumi in sensu pure illativo, sed etiam causaliter, easque denotare quidem modum quandam causalitatem in rebus futuris, respectu divinae præscientiae; sed hanc causalitatem non esse effectivam, vel causæ physice influentiam in effectum; sed tantum objectivam, & causæ objectivæ motestis, vel terminantis divinam cognitionem. Unde dicunt, scientiam Dei libetam pendere à rebus futuris, tanquam ab objectis, non verò tanquam à causis physice influentibus.

Sed contra primò: Ostendimus ex D. Thoma, scientiam Dei non pendere à rebus, etiam tanquam ab objectis, nec ab illis mensurari, quantum ad veritatem & certitudinem; sed potius esse causam, regulam, ac mensuram totius veritatis & certitudinis quæ est in illis, easque id est esse veras, quia ei adæquantur: Ergo hoc responsio manifestè contradicit doctrinam Divi Thomæ.

Secundò, Si scientia divina penderet à rebus creatis tanquam ab objectis, & in illis supponeret, & non faceret certitudinem & veritatem, non esset quantum ad hoc perfectior scientia Angelorum; cum enim illi non accipiunt species à rebus, sed habeant à Deo infusas, illorum scientia non pendet à rebus creatis in genere causæ efficientis, & physice influentis in intellectum eorum, sicut scientia nostra, quæ accipit species à rebus, sed in genere tantum causæ materialis & objectivæ: Ergo si hoc secundo modo divina scientia penderet, & cauteretur à rebus, non erit perfectior, nec magis independens ab illis, quam scientia Angelorum.

Tertio

DE CAUSALITATE SCIENTIÆ DÉI

219

Tertio, Scientia Deinon est minus perfecta, nec minus independentia rebus creatis, quam e-
ius amor: Sed divinus amor non penderet, nec cau-
satur à bonitate & perfectione quæ sit in rebus, nec
illam supponit, sed potius efficit, ut docet D.
Thomas in fræ quest. 10. art. 2. ubi dicit, *Amor
Dñi est infundens & creans bonitatem in rebus: Er-
go si misteria scientia Deinon penderet a certitudine &
veritate quæ sit in rebus, nec illam supponit,
sed potius efficit; nec ideo verum est eam præsci-
res futura, quia futura sunt; sed potius video
illa futura sunt, quia ab ea sciuntur, & cognoscuntur.*

Quarto, Cūm res creatæ non sint objectum
formale & primarium divine scientiæ, sed ma-
teriale tantum & secundarium; illa non potest
ab eis dependere, & mensurari, quantum ad ve-
ritatem, & certitudinem: veritas enim, & certi-
tudinescientiæ, perit solū ex objecto formalis
& specificativo, non autem ex materiali & secun-
dario.

Potest etiam probari conclusio ex dictis articul-
lopæc denui: Scientia visionis, quatenus est libe-
ra, & approbationis, est causa futuri rationis rerum:
Ego hæc propositio, Ideo res sunt futura, quia sci-
untur à Deo, est vera, non solum in sensu illativo,
sed etiam causali. Consequentia patet, nam
qua rationalitas v.g. est causa visibilitatis, hæc
propositio, Homo est visibilis, qua rationalis, est
vera non solum in sensu illativo, sed etiam in sensu
causalis: Ergo si scientia visionis in Deo sit causa re-
rum, hæc propositio, ideo res sunt futura, quia sci-
untur à Deo, est vera in sensu causalis, & non carent
in sensu illativo.

§. II.

*Exponuntur aliqua testimonia Sanctorum Patrum,
quæ videntur adversari nostræ sententia.*

Cuncta nostram sententiam, multa congerunt
& accumulant, Suarez, Ruy, & alii Recen-
tores Sanctorum Patrum testimonia, quibus do-
cere videntur, non ideo res esse futuras, quia præ-
scientur à Deo; sed potius video illæ à Deo præci-
ni, quia futura sunt: ita enim loquitur Origenes in
capit. 8. Epistole ad Romanos. Item Justinus
Martyris libro questionum, quest. 8. Non est,
inquit, praesatio causa ejus quod futurum erat, sed
quod futurum erat, causa ejus prænotionis. Idem sen-
tientionymus Dialogo 3. ad serm. Pelagianos. ubi:
Non ideo peccavit Adam, quia Deus hoc futu-
rum non erat, sed præcivit Deus quod ille erat propriæ
voluntate futurus. Idem dicit Cirillus Alexan-
drus libro 9. in Joan. cap. 10. ubi hoc explicat exem-
plum edici, quin non est causa morbi quem agri-
tus interperantur sibi asecerit. Similes docent Da-
malenus, Chrysostomus, & alii.

Ad hec & similia loca, in primis respondeo il-
los Autores, nimirum zelo ductos impugnandi
Thomistos, plura proferte testimonia, quæ non
minus contra eorum doctrinam pugnant, quam
contra Thomistatum sententiam: illi enim do-
cent scientiam simplicis intelligentiæ, adjunctò
ben placito divina voluntatis, esse causam re-
rum, ac proinde tenentur concedere, istam pro-
positionem in sensu causalib[us] esse veram: Ideo res
sunt futura, quia præscientur à Deo per scientiam
simplicis intelligentiæ; & tamen SS. Patres ab il-
lis relari; absolute dicunt, præscientiam Dei
non esse causam futuriorum rerum, nec ideo res

Tom. I.

A esse futuras, quia præscientur à Deo; sed ideo ab
illo præciri, quia futura sunt. Quod si illi contendant, Sanctos Patres in his locis, non loqui de scien-
tia simplicis intelligentiæ, sed tantum de scien-
tia visionis: cur etiam nobis non licet similem
expositionem adhibere, & utrū eadem licentia ipsos
interpretandi; ac similiter dicere, eos non lo-
qui de scientia visionis, sed de scientia simplicis in-
telligentiæ? Et hæc nostra interpretatio magis
erit consona illorum menti, & intentioni, quam
expositio Adversariorum: cūm enim Sancti Pa-
tres in his locis disputerent contra Manichæos, &
intendant demonstrare contra illos, diuinam præ-
scientiam nequaquam officere libertati creatæ, nec
ullam inferre rebus necessitatem, aut coactio-
nem: quando dicunt, non ideo res esse futu-
ras, quia à Deo sciuntur; hoc porcius debet in-
telligi, de scientia naturali, & necessaria, quas
est scientia simplicis intelligentiæ; quam de sci-
entia libera, qualis est ea quæ visionis nuncupat-
tur: quia manus videtur esse peticulum, quod ex
scientia necessaria sequatur destrictio libertatis,
quam ex scientia libera, quæ libertatem potius fa-
vere & conservare, quam lacerare, aut violare vi-
detur.

Secundū respondeo, Sanctos Patres in his locis
manifestè loqui de peccatis, de quibus verissimum
est dicere, illa non esse futura, quia sciuntur & co-
gnoscuntur à Deo per scientiam visionis: cūm enim
illa non sit causa rerum, quatenus formaliter visio-
nis est, sed solū quatenus est practica, & appro-
bationis; & peccata non cognoscuntur à Deo per
scientiam libera, quatenus est approbationis, sed
solū quatenus est visionis; verissimum est, peccata
non esse futura, quia à Deo cognoscuntur per sci-
entiam visionis.

Tertio hæc potest, quod si interdum Sancti Pa-
tres non loquantur de peccatis, sed de actibus bo-
nis, vel indifferentibus, solū inveniuntur vivam
præscientiam non esse causam totalem & adæqua-
tam illorum, ita quod ejus causalitas impedit vel
excludat libertam determinationem, & coopera-
tionem nostra voluntatis, tanquam secundi li-
beri, & secundi determinantis, ei quo inferat ali-
quam violentiam vel coactionem. Quæ respon-
sio & interpretatio sumitur ex D. Thoma quest. 2.
sive veritate art. 14. ad i. ubi sic habet. Dicendum
est, quod intentio Origenis est dicere, quod scientia Dei
non est causa, quæ inducit necessitatem in se, ut ex hoc
cogatur aliquid evenire, quia Deus illud fecit. Eripi-
tamen dixit Anselmus in libro de concordia: Si
præscientia Dei traheret voluntatem nostram ad id
quod præcivit, Deus futura libera non prescribet, sed
singeret.

Denique responderi potest cum eodem Sancto
Doctore hæc articulo 8. ad i. quando Sancti Pa-
tres affirmant, non ideo res esse futuras, quia
sciuntur à Deo, eos locutos esse de scientia &
cognitione divina, attendentes rationem scientie,
cui ut sic non competit ratio causalitatis; alioquin
scientia quam habet malorum, esset eorum cau-
sa; sed solū in quatenus habet voluntatem adjun-
ctam, sive quatenus est applicata per decretum;
cumque dicant Deum præcire aliqua, quia sunt
futura, id intelligendum est secundum rationem
consequentiæ, non secundum rationem essendi;
id est in sensu illativo, non causalib[us]; si enim ali-
qua sunt futura, sequitur quod Deus ea præcie-
rit, non tamen res futura sunt causa cur Deus
sciat. Unde mirari licet Adversariorum consi-
lium litigandi de mente D. Thomæ adeo compet-
ta: cūm

Eccl. 2

ta: cùm enim ipse interpretetur Origenem, aliosque SS. Patres afferentes res sciti à Deo, quia futura sunt; & dicat hoc esse verum à posteriori, & secundum causam consequentia, huc nos respondemus, velint nostram respondemus alienam esse à mente D. Thoma, cuius tamen ipse est author conceptis verbis.

Lectori facillimum erit quibuslibet testimoniis Sanctorum Patrum quae ab Adversariis proferuntur, quam voleat ex his, & qua cuique commoda erit, expositionem applicare.

78 Sed contra ultimam ex D. Thoma desumptam, tripliciter instant Recentiores, & d'cunt primò, quod Sancti Patres loquentes de peccatis futuris, illam contrapositionem faciunt: Non ideo sunt futura: quia sciuntur à Deo, sed ideo sciuntur, quia futura sunt: Ergo nisi əquivocè nimis loquuntur, in eodem sensu accipi debet particula, ideo, in utroque extremo contrapositionis: At si accipiat ut purè illativo, non minus est ve. ùn, si dicatur: Quia scitur peccatum ideo erit; quād ideo sciri quia erit: cūm non minus inferatur ex præscientia futurio peccati, quād ex futuritate præscientia: Ergo cumque concedendum esset. unde cūm unum concedant, & aliud negant, manifestum est illos in sensu causalī, non autem purè illativo locutos esse.

Secundò instant ex verbis Justini Martyris supra relatis, quibus expressè afferit, futuritionem esse causam divinae præscientiæ: Non est inquit oratione causa ejus quod futurum est, sed quod futurum est causa est prænotio.

Tertiu infurgit Arribal ex verbis Origenis, qui reddens rationem cur Dei prænotio non sit causa futuritionis rerum, sic ait: Etsi singamus Deum non præcognoscere aliquid futurum, tamen futurum sine dubio erit. Quibus verbis Origenes probat Dei scientiam non esse causam futuritionis rerum, quia quamvis illa in separemus à Deo, non ideo compellimus negare rerum futuritionem. Quo argumento communiter uti solemus, ad probandum unum non esse causam alterius: Ergo juxta Origenem, non ideo res futura sunt, quia sciuntur à Deo, sed ideo ab illo sciuntur, quia futura sunt.

Ad primam instantiam dicendum est, non esse necessarium quod particula, ideo, in utraque propositione, in eodem sensu accipiatur, sed illam in una posse accipi in sensu illativo, & in alia in sensu causalī: quia diversitas illa acceptioñis deservit ad Sanctorum Patrum intentum, quod est salvare contra Machichos, Deum non esse causam peccati. Maximè, quia Ecclesiæ Patres, sèpè quando unum eorum impugnant, solent in apparentia in oppositum declinare; & sic non mirum, quod intendentes salvare Dei scientiam non esse causam peccati, utantur verbis piaze ferentibus causalitatem peccati in divinam præscientiam. Unde in hoc sensu debent intelligi verba Justini Martyris in secunda instantia relata, & per hoc patet responsio ad illam.

Ad tertiam dicatur, Origenem in his verbis locutum esse de peccatis futuris, quorum quia non est causa divina præscientia, rectè dicit quod etiam si singamus Deum ea non præcognoscere, illa nihilominus futura essent.

S. III.

solvuntur alia argumenta ex ratione pœrita.

P Ræter hæc testimonia Sanctorum Patrum, in quibus præcipuum robur suæ sententiae continent Adversarii, arguit Vazquez contra nostram conclusionem, hoc modo. Quilibet scientia suum objectum supponit, & non facit: Ergo cùm scientia visionis terminetur ad res, ut futuras & existentes, non facit, sed supponit illarum futuritionem, & existentiam: ac proinde non ideo res sunt futurae, quia ab illa sciuntur, sed potius ideo ab illa sciuntur, quia futurae sunt. Consequentia patet, Antecedens vero probat tripliciter. Primo ex Augustino libro 4. super Genes. ad litteram, ubi sic habet: Nec enim cognitio fieri potest, nisi cognoscenda procedant. Secundo probat idem Antecedens: Intellectus (inquit) ideo dicitur verus, quia intelligit rem esse ut est; non vero è contra ideo res sunt verae quia ad quantum in rebus & in eas cognoscendi. Tertio probat à simili scientia simplicis intelligentiae rerum possibiliterem supponit, quia hæc est illius objectum: Ergo cùm existentia, & futuriorum, sint objectum scientiæ visionis, illa debet patiter supponere rerum futuritionem.

Confirmat hæc argumenta: Omnis causa suum effectum præcedere debet: At notitia intuitiva, nequit præcedere existentiam sui objecti, cùm illam habeat pro objecto: Ergo nequit illam causare, sed necessariò debet illam supponere.

Ad hæc argumenta sufficienter respondit articulo præcedenti, ubi similia proposimus & solvimus: ut tamen Adversariis plenius respondeamus, & illis satisfactionem, non solum condigam & rigorosam, sed etiam superabundantem acercentem exhibeamus, iterum respondendo distinguendo Antecedens: Quilibet scientia suum objectum supponit, & non facit: si sit tantum speculativa, concedo. Sit eminenter speculativa & practica, nego. Vel si sit mensurata à rebus, concedo.

D Si sit mensura rerum, nego. Scientia autem visionis in Deo, non est purè speculativa, ut supponit Vazquez, & non probat (cùm tamen in illius probatione totum fere negotium hujus disputationis consistat) nec mensuratur à rebus, sed potius est illarum regula & mensura.

Ex hoc facile responderetur ad omnes probantes, quas ille Author inutiliter & otiosè multiplicat. Ad primam enim dicendum, D. Augustinum loqui de cognitione purè speculativa.

Ad secundam similiter responderetur, intellectum qui non facit, sed supponit suum objectum, & qui mensuratur à rebus, ideo esse verum, quia cognoscit rem scientiæ: si autem suum objectum faciat, & sit mensura rerum, ideo res sunt verae, quia ab illo cognoscuntur: unde ut supra vidimus, D. Thomas, variis in locis, hoc inter intellectum divinum & creatum discrimen statuit, quod intellectus creatus supponit veritatem in rebus, & non facit; intellectus divinus est causa & mensura totius veritatis, quæ inventitur in rebus: si ut ejus amor est ponens & infundens totam beatitudinem & perfectionem, quæ in eis reperitur: unde sicut res non amantur à Deo, quia sunt bona; sed potius ideo sunt bona, quia ab illo diliguntur: ita similiter intellectus divinus, ideo non est verus, quia rebus adæquatur; sed potius

DE CAUSALITATE SCIENTIAE DEI

221

potius id est sunt veræ, quia illi adæquantur. Ad tertiam, dato Antecedente, nego Consequentiam & patrem: scientia enim simplicis intelligentie, cum sit purè speculativa, non facit, sed supponit suum objectum: scientia autem visionis, cum sit eminenter speculativa & practica, illud non supponit, sed efficit, ut supra fuit declaravimus: unde quamvis de tur quod scientia simplicis intelligentie non faciat, sed supponat resum possibilitem; negari tamen non debet, scientiam visionis esse calum existentie & futuritionis illatum.

Ad confirmationem dicendum est de ratione cause non esse quod antecedat effectum, prioritate in quo, seu temporis; sed cum prioritate à quo, seu natura: de ratione autem notitiae, seu cognitionis intuitivæ, solum esse similitatem in quo respectu objecti, non autem similitatem excludentem prioritatem naturæ, seu à quod, ut articulo præcedenti declaravimus.

ARTICULUS IV.

An sit admittenda in Deo potentia aliqua executiva, virtualiter ab eius intellectu & voluntate distincta?

Resolutio hujus difficultatis, necessaria est ad plenam, & perfectam intelligentiam eorum quæ de divine scientia causalitate hic usque diximus: node quamvis de illa dispergunt plures Theologici Sancto Thomâ infra quæst. 25. ubi agit de divina potentia; eam tamen hic inserimus, ac præcedentibus articulis adjungimus, veluti appendicem, & complementum hujus disputationis. Ut autem status questionis clare percipiatur.

Obserendum est, quod in actibus agentiis spiritualis duplex soler ordo distingui: unus dicat intentionis, qui incipit a cognitione & intentione finis, & terminatur ad electionem meditum: alter executionis, qui incipit ab actu subsequente electionem, & terminatur ad extermam operis positionem. In nobis ergo antequam aliquem finem consequamur, debet primò præcedere cognitio illius, secundò ejus intentio, tertio consilium de mediis eligendis, quartò iudicium five sententia, quæ judicatur hoc vel illud medium esse conveniens, quintò sequitur electio ipsius voluntatis, & in ea terminatur ordinatio intentionis. Sed quia parum prodesset bene eligere, si deesse executio, ideo post electionem lequitur actus intellectus qui dicitur imperium, quod scilicet medianorum electorum executio imperatur: post actum imperii est usus actus, quod voluntas applicat potentias executivas ad opus, v.g. manum artificis ad parandos lapides, dolandaligna &c. Denique est triple actus potentiarum executivarum applicatarum, qui dicitur *usus passivus*, ad quem sequitur posilio operis, & consecutio finis. Quizzitur ergo, an sicut in nobis datur aliqua potentia executiva, ab intellectu, & voluntate realiter distincta, quæ ut applicata à voluntate, operatur & producit res ad extra: ita etiam in Deo similis potentia admittenda sit ab eius intellectu, & voluntate virtualiter saltem distincta, velan voluntas divina, ut ab intellectu directa, per scientiam simplicis intelligentie, aut intellectus eius practicus, ut morus, & applicatus à

A voluntate, per scientiam visionis, sit principium immediatè productivum, & effectivum rerum ad extra?

Prima sententia admititur in Deo potentiam aliquid executivam, ab eius intellectu & voluntate virtualiter distinctam. Ita Durandus in 1. dist. 38. & Suarez in Metaphysica disput. 30.

Secunda existimat, potentiam executivam in Deo, esse voluntatem, ut connotat intellectum diligenter. Ita Vazquez hisc disp. 102. cap. 3. & plures ex Recentioribus.

Tertia vero quæ est communis in Schola D. Thomæ, docet talē potentiam in Deo esse intellectum ejus practicum, ut motum, & applicatum à voluntate, illumque producere res ad extra, per actum imperii, formaliter immanenter, & virtuiter transeuntem.

§. I.

Suaris Sententia rejicitur.

Dico primò, non dari in Deo potentiam executivam, ab intellectu, & voluntate virtualiter distinctam.

Coilibitur ex D. Thoma variis in locis, in quibus docet scientiam Dei esse causam rerum, secundum quod haber voluntatem conjunctam, & in Deo suum intelligere, & suum velle, & suum facere: quæ fata essent, si in eo daretur potentia aliqua executiva, ab eius intellectu & voluntate virtualiter distincta. Unde idem S. Doctor, i. p. quæst. 25. art. 1. in secunda solutione 4. argumenti dicit, *Scientia vel voluntas divina, secundum quod est principium effectivum: habet rationem potentia.*

Eadem veritas hac ratione suadetur: Deus est simplicissimus, & natura purè intellectualis: Ergo in illo non debent admitti aliae potentiae, nisi illæ quæ pertinent ad gradum intellectivum: Sed ad gradum intellectus & voluntas: potentia enim executiva, secundum se est potentia bruta, nullamque presupponens essentialiter cognitionem: unde in Angelis non admittitur talis potentia, ut distincta ab illorum intellectu & voluntate, sed illi operantur ad extra per actum imperii, virtualiter transente, ut docet Sanctus Thomas opuscul. ii. art. 5. ubi dicit. *Angeli movent celos conceptione sui intellectus effectu: Ergo non datur in Deo potentia executiva, ab intellectu & voluntate virtualiter distincta.*

Confirmatur: Ideo in nobis admittitur potentia executiva, distincta ab intellectu & voluntate; quia non sumus naturæ simplicis, sed mixta ex spirituali, & corporeo, vel quia in nobis distinguuntur usus actus ab imperio: nam postquam diximus apud nos, *fiat hoc*, debemus organa applicare ad executionem illius deliberationis: vel denique, quia in nobis voluntas est inefficax, nec volendo potest operari; & similiter intellectus noster, respectu objectorum, est mere speculatorius, & non practicus. Sed haec omnes rationes cessant in Deo, ipse enim est natura simplicissimæ, & purè spiritualis, imperium ejus quod dicit, *fiat hoc*, non ordinatur ad sciplum applicandum ad opus, sed ad ipsam rem immediatè exequendam. Denique intellectus, & voluntas in Deo, non sunt potentiae purè speculatoriae, sed etiam practica: unde D. Thomas, & alii communiter ponunt hanc differentiam inter actus cretatos & incretatos cognitionis & amoris;

Tom. I.

Eccl. 3

quod